

Franckesche Stiftungen zu Halle

Ad Avdiendas Orationes Qvasdam De Virtvtibvs Scholasticis Die [] Aprilis ab hora VIII. matutina In Schola Calbensi Pvblice Habendas Patrones, ...

Beiche, Georg

Halae Magdeburgicae, 1711

VD18 13459619

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:oby:ha33-1-197310





65. E. 12

65 E. 12

32.
2. D. B. V.

AD

AVDIENDAS ORATIONES

QVASDAM

DE

VIRTVTIBVS SCHOLASTICIS

Die Aprilis ab hora VIII. matutina

IN SCHOLA CALBENSI

PVBLICE HABENDAS

**PATRONOS, FAVTORES AC
AMICOS**

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA

ET HVMANITATE

INVITAT

SIMVLQVE

DE

IMPEDIMENTIS EARVMDDEM VIRTVTVM

APVD IVENTVTVM SCHOLASTICAM

QVAEDAM DISSERIT

M. GEORGIVS *Seiche* R.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ. 1711.



I.



Ererabunt diecrastini quidam discipulorum nostrorum de VIRTUTIBVS SCHOLASTICIS, quas præceteris decere studiosos iuuenes, easque Pietatem, Precum adsiduitatem, Industriam, Obedientiam, Temperantiam, Morum honestatem & Gratum deniq; esse animum existimam9.

II. Hanc operam illi partiti sunt inter se ita, vt, cum Aribertus Fridericus Reichenbach / Calbensis, teutonico præloquio Auditoribus egerit pro honorifico accessu gratias eosque ad audiendas beneuole orationes breuissimo sermone inuitauerit, dicturi sint

1. de Pietate EMANVEL CHRISTIANVS Am Ende / Halensis, & quidem solus sermone latino non ligato: cum, qui ante eum græcis de eadem verbis fuisset dicturus, ante tempus abierit. Vale quoq; dicet hic orator scholæ nostræ in Academiam abiturus, iisque, quibus se debere nouerit, gratias persoluet debitas.

2. de Precum adsiduitate CHRISTOPHORVS IOANNES Schläse & IOANNES FRIDERICVS Reichenbach / Calbenses: vterque profæ; ille latino, hic patrio orationis genere.

3. de Industria FRIDERICVS ANDREAS Hallbauer / Alsta-

Alstadius Saxo, & IOAN. LVDOVICVS Schacht-
rupp/Herzberga Hannoueranus: ille versibus Hero-
icis, hic sermone simplici; vterque latine.

4. de Obedientia GEORGIVS Thile/Læbeiunensis, &
CHRISTIANVS FRIDERICVS Strähle/ Cal-
bensis: ille versibus vernaculis; hic latina oratione
soluta.

5. de Temperantia IOANNES FRIDERICVS Sträh-
le/Calbensis, & IOANN. HENRICVS Bernuth/
Rosenburgo-Magdeburg: ille versibus germanicis;
hic oratione latina non ligata.

6. de Morum honestate Gottfried BARTHOLO-
MAEVS Neusing/ Hohensteinio-Schœnburgicus,
versibus patriis, & IOANNES CAROLVS Siedler/
Guelderbytanus, oratione prosa latina.

7. de Grato animo IOANNES Gottfried Feldmann/
Vitebergensis, & ERNESTVS CHRISTOPHO-
RVS Hofmann/ Hecstadiensis Mansteldicus: ille
vernaculo; hic latino sermone non ligato. Qui-
bus denique Coronidem imponet BENIAMIN FRI-
DERICVS Reichenbach/ Calbensis & Auditoribus
pro beneuola attentione, germanica trium periodo-
rum oratione, aget gratias.

III. Quum vero mos receptus & scholastica consuetu-
do postulet, vt viros spectatæ dignitatis & litteratos ad
has orationes beneuole audiendas iuuenumque animos ho-
norigica sua præsentia ad maiorem industriam accenden-
dos scripto publico aduocemus; deque iis, quæ ad rem
præsentem faciant, aliquid commentemur: vtrumque fa-
cturi sumus ita, vt de harum virtutum, de quibus nostri
sunt peroraturi, IMPEDIMENTIS apud studiosam iu-
uentutem aliquid disseramus & deinceps, qua decet, obser-
uantia & humanitate Patronos, Fautores ac Amicos in-
uitemus.

IV. Equidem constitueram initio de singularum harum virtutum impedimentis sigillatim agere & vniuscuiusvis remoras nociuas in apertum locare. Sed cum nimis late pateat hic campus, vt vno illum cursu emetiri nequeam: mutanda mens fuit, vt generatim tantum, quid ab his virtutibus retrahat, perstringam; præcipue tamen ad Pietatem precumque studium, vtpote quibus impeditis reliquæ simul sua præpedimenta facile nanciscuntur, animum & oculos intendam.

V. Dantur autem pietatis precumque deuotarum impedimenta tam generalia, quam specialia. Illa sunt, quæ Adami transgressio mandati diuini, & post innatum omnibus hominibus contagium peruersaque per peccatum voluntas inuexit. Hisce enim, pro dolor! factum est, vt tum sine metu Dei, sine fiducia erga Deum & cum concupiscentia nascamur, prouti strenuissimi nostri confessores Augustani loquuntur; tum horrendam intra nos a Deo auersionem conscientiaque occultum irati numinis metum sentiamus, qui impedit, quo minus accedamus promte ad timorem Domini; sed ad exemplum potius Adami a conspectu illius nos remoueamus nostramque nuditatem ficuum foliis obuelare, hoc est, externis quibusdam actionibus & carimoniis sine interna mentis pietate Dei cultum peragere studeamus.

VI. Ita enim se res habet. Natura nunc omnes prosequimur mala & impia; ad pia, ad sacra tardiores sumus cochleis. Auersamur diuina, caelestia, salutaria: appetimus diabolica, terrestria, damnosa. Deus per verbum suum sanctique spiritus vires in illo oblatas retrahere studet pectora nostra ab hac impietate & ad se conuertere: sed pauci sunt, qui tractui obsequantur & flecti se ad saniora patiantur. Multi magis amant voluptates & tenebras, quam Deum & lucem, Scriptura ipsa ita conquerente:

VII.

VII. Igitur ex naturali ingenio non ineptus tantum homo est ad timorem Domini & impotens sinceræ pietatis; sed repugnat etiam & renuit diuino tractui ob non agnitam tum suæ miseræ, tum diuinæ gratiæ magnitudinem. Hinc ad pietatem, ad preces ex animo fundendas, quamdiu sui similis existit, ex corrupta illa & detorta mente ac repugnantia, quam Theologi cognominant naturalem, se neutiquam, vt decet & Deus postulat, accingit.

VIII. Accedunt autem illarum virtutum impedimenta specialia, & repugnantia, quam cognominant voluntariam, affectatam, morosam. Quorum quidem in iuuentute, de qua nobis sermo est, non vna causa datur: cum ad educationis negotium parentes & præceptores ipsique iuuenes concurrant.

IX. Parentes sæpenumero non leuia obiiciunt filiis impedimenta pietatis precumque: quod quidem vix credibile videbitur omnibus; licet a veritate neutiquam aberraret. Quis enim, inquit, parentum adeo barbarus & truculentus, adeo impius & sceleratus esset, vt a timore Domini & pietate filios abstraheret? Equidem nec huic obiectioni valde repugno. nullos enim facile reperiri credo parentum, quin pietatis & christianismi studium præ se ferant & boni filiorum educatores videri cupiant. Sed nihilo tamen minus multi dantur, qui vel ipsi veri christianismi sinceræque nec fucatæ pietatis indolem aut non cognouerunt, aut cognitam non induerunt; sed vel mentis suæ cæcitate ac ruditate, vel improbitate ac malitia vehementer noxia proponunt filiis & iuuentuti exempla.

X. Dantur enim, vt nemo negabit, parentes impii: dantur verbum diuinum ipsi contemnentes & negligenter vel frigide nimis tractantes, serias & deuotas preces, vt christianismi indoles postulat, non peragentes: dantur, qui ipsi virtutibus non ornati, vitiis tamen obruti sunt. Hos

vero horumque similes quin impedimenta ponant pietatis, precum, obedientiæ, temperantiæ, ceterarumque virtutum filiis suis, ego quidem non dubito; nec vllum facile dubitare posse arbitror. Quod enim ipse quis non diligit aut magnificat; id aliis non commendabit: & si praua parentum exempla videant filii, non mirandum est, quando a boue maiori discit arare minor.

XI. Progredior ad Præceptores, quorum est officium formare teneras iuuenum mentes easque pietati ac virtutibus adsuæfacere. Hic vero effectus testetur de causa & fructus de labore. Non quidem semper respondent euentibus vota: nec pii patres piique præceptores monitorum ac exempli efficaciam in filiis discipulisque animaduertunt; sed tamen vbique & ab omnibus satisfieri præceptoribus, ego quidem hac in causa affirmare non audeo.

§. XII. Quid? si & in his darentur, qui ipsi, quomodo Deo iungi, & veram consequi felicitatem debeant, ignorant, aut saltem solide non sciunt: aut si sciunt, ex negligentia & incuria non serio id iuuentuti inculcent: aut si inculcent, praua ipsi vitiorum præbeant exempla? Ne dicam existimare quosdam, sui non esse muneris, ut ad pietatem adducant, aut, ut illorum verbis exprimam, pios reddant suæ doctrinæ commissos: sufficere arbitrantur, si discant aliquid, eorumque profectus non plane nulla capiant incrementa. Hinc enim fit, ut multi quidem multum desudent in imbuendis animis doctrina & scientia linguarum & artium; sed & liberanda iuuenum pectora a dominio peccati & voluptatum, ne manum quidem tollunt. Et hac in re a parentibus illi quibusdam non leuiter confirmantur, ut qui plerumque solent de profectibus tantum filiorum, de pietate vero vel nunquam vel raro inquirere; & satis habent, si multa ii ex Cicerone discant, licet nihil sciunt ex Scriptura sacra.

XIII.

XIII. Hinc est, quod iuvenes inueneris satis iam natū māgnos, qui de statu hominis ante & post lapsum, de peccati indole, de regeneratione & iustificatione, de precibus serio & ex animo fundendis, aliisque doctrinæ christianæ capitibus interrogati vel parum vel nihil possint respondere. Quod enim ad scientiam eorum Theologicam attinet, vnam atque alteram interdum religionis differentiam & controuersiam norunt inter nos & pontificios, vel plebi notam: quod ad vitam, externam quandam christianismi speciem, si res optima sit, præ se ferunt moresque induunt humanos seu politicos, prætereaque habent nihil.

XIV. Vnde autem hæc omnia? Inde, saltem aliqua ex parte, quod nec a parentibus nec a præceptoribus recte imbuantur & ad sinceræ pietatis exercitium erudiantur & admoneantur. Nemo vero existimet, me nouas hic & inauditas excogitare querelas: multi iam ante me cordati homines hac de re conquesti sunt grauisime. Vnum cito Virum maxime Reuerendum, M. Ioannem Henricum Hävecker /Inspectorem huius vicinarumque ecclesiarum regium, nostrumque venerandum affinem, qui in præfatione des güldenem Schul-Kleinods fol. 6. ita scribit: *Disbedencken einige Eltern nicht / die da lieber wollen / daß ihre Kinder von ihren Lehrern angewöhnt werden eine Sentenz oder Historie aus einem heidnischen Scribenten zu erzehlen / als einen Biblischen Spruch zu sagen: Dahero es geschicht / daß mancher junger Mensch zwar gut Ciceronianisch / aber schlecht Christisch: ich will sagen / mit dem jungen Cicerone sein epicurisch und mit ihm eines Gebacks wird.* En fontem impietatis morumque dissolutorum in iuuentute scholastica!

XV. Superfunt impedimenta, quæ ab ipsis iuuenibus profecta pietati precumque studio reliquisque virtutibus obiiciuntur. Primum quidem est ipsa naturalis a Deo atque pietate auersio, qua iuuentus etiam magis delectatur iucunda rerum vanitate procacique petulantia; quam seria & seuera pietate. Hinc parum admodum, quamdiu illa dominatur, apud plurimos efficiunt doctorum monita; sicuti accommodate Horatius;

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.

Alterum

Alterum autem est praua educatio & mala consuetudo: illa ad-
fuefacit pueros iis moribus eique vitæ generi, quibus adultiore
facti propter consuetudinem difficulter se liberare possunt aut vo-
lunt. Iterum accommodate Horatius:

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

Nec minus ad voluptates petulantiamque iuuenilem accommo-
dari potest Ouidii versus:

Turpius eicitur, quam non admittitur, holpes.

Tertium sunt noxia cum malis hominibus conuersatio & praua,
collegia atque colloquia. Sicuti enim in virtute & artibus ho-
nestis longum iter est per præcepta; breue & efficax per exempla:
ita in malis etiam, & speciatim in iuuenum vitiis efficaciora sunt
aliorum mala exempla, quam fidelium doctorum monita. Nec
tantum huc referendi sunt petulantes condiscipuli, aut vagabun-
di homines planetæque illi terrestres, qui sibi laudi ducunt mul-
tas frequentasse scholas & in omnibus didicisse nihil; qui plerum-
que omnia sua secum portant, & præter malitiam, quam solam
possident, nihil aduehunt: sed ii etiam, qui detestandas præbent
iuuenibus computandi occasiones. Quantum enim nimix &
exundantes irrigationes plantis & frugibus nocent: tantum eius-
modi computationes in vitiis iuuenum corroborandis & confir-
mandis efficiunt.

XVI. Postularet nunc rerum ordo, vt de tollendis e medio
his impedimentis aliquid adiicerem: sed cum paginæ angustia pro-
hibear; in aliam occasionem, quod hic fieri deberet, differen-
dum est. Id tantum ex animo precor & submissis a Deo preci-
bus contendo, vt hæc tandem aliquando impedimenta in paren-
tibus, præceptoribus ipsisque iuuenum animis, pietatis virtutum-
que studio obesse desinant!

XVII. Alterum nunc, quod nobis proposuimus, restat. I-
gitur Patronos, Fautores & Amicos, obseruanter ac officiose ro-
gamus, vt ne crastino die ab hora VIII, si per negotia licuerit,
scholasticam ædem subire & honorifica sua præsentia studiosæ
iuuentutis conatus magis magisque prouocare dedignentur.
P. P. Calbæ d. Aprilis MDCCXI.

65 E 12

